10

ISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

MMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

HUGO CASEMENT,

HIBERNUS,

Soc. Phyſ. Edin. Sod.

ic labor extremus, longarum haec meta viarum. VIRG.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

Viro admodum ſpectabili

THOMÆ IRVING, M.D.

Artem Hippocraticam Liſburniae,

Apud Hibernos,

Summa cum laude, generiſque humani commodo,

Feliciter exercenti,

Et nemini,

Quantum morum elegantiam,

Vitae integritatem, caeteraſque virtutes,

Viro ingenuo dignas,

Spectat, ſecundo;

Ob beneficia plurima,

Quae in ſemet conferenda curavit,

Haſce ſtudiorum in medicina primitias,

Ut exiguum animi haudquaquam ingrati monumentum,

Maxima obſervantia,

D. D. CQ.

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24929037

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

CUM hujus inclytae Academiae inſtitutis ſancitum ſit, ut ſinguli, qui lauream Apollinarem petunt, prius aliquod diligentiae ſuae, et in medicina progreſſus, ſpecimen in vulgus edant, quam eandem adipiſcuntur; ita ego, eum honorem ambiens, ad diſſertationem ſubſequentem exarandam animum admovere cogor. Rebus ita ſe habentibus, ſtudium tempuſque non alibi melius, quam in rheumatiſmo acuto rite conſiderando, poni poſſe exiſtimo, cum, e plurimis morbis, qui corpus humanum infeſtant, nullus ſit frequentior, aut plus moleſtiae aegrotantibus faceſſat.

DEFINITIO.

Hujuſce morbi definitionem noſologi quidam minime perfectam tradiderunt. Eam vero, quam Cullenus, Noſologus ille celeberrimus, protulit, utpote quae reliquis omnibus accuratior pleniorque eſſe videatur, adhibere non dubitamus. Sic autem ſeſe habet :

"Morbus ab externa, et plerumque evidente
" cauſa, pyrexia; dolor circa articulos, muſcu-
" lorum tractum ſequens, genua et reliquos
" majores, potiuſquam pedum vel manuum, ar-
" ticulos, infeſtans, calore externo auctus *."

HISTORIA MORBI.

Neminem latet, rheumatiſmum regiones orbis terrarum eas magis infeſtare, quae repentinis viciſſitudinibus caloris et frigoris objiciuntur, aut ubi ſiccitates pluviae ſubito excipiunt: Namque Hillarius, de morbis inſulae Barbadenſis ſcribens, dicit, hunc morbum ibi rariſſime apparere. Multi

* Vid. Cul. Noſolog. Cl. i. Ord. ii. et Gen. xxii.

Multi pariter affirmant, rheumatiſmum, in regionibus magis ad Auſtrum vergentibus, multo rarius graſſari. Hinc etiam patet, cur menſibus Martio et Aprili, Octobri et Novembri, dum aëris temperies magis mutabilis eſt, dumque calor excipit frigus, humiditas ſiccitatem, et vice verſa, homines adoriatur. Hae coeli mutationes in inſulis Britannicis magis, quam alibi, ſunt notabiles; unde morbus frequentius hic, quam in aliis plagis, invadit. Omnis ſexus, aetas, et temperamentum, ſi cauſae excitantes ſatis potentes corpori applicentur, huic morbo patet. Sanguinei et pleni, a pubertate ad 35 annum uſque, hocce morbo frequentius corripiuntur. Faeminas, quam viros, crebrius aggreditur.

Hiſce obſervationibus praemiſſis, ad ſymptomata, quae in morbo ſeſe manifeſtant, enumeranda animum adjungamus. Languoris et laſſitudinis ſenſum imprimis experitur aegrotus; palleſcunt et torpent corporis extrema. Spinam aliquoties perlabitur ſenſus frigoris, qui cum rigore et horrore per corpus univerſum tandem diffunditur; paulatim calor accedit univerſus, ſimul cum anxietate circa praecordia; pulſus arteriarum jam fiunt frequentes, pleni, et duri, reſpiratio frequens, gravis, et moleſta; ſitis adeſt

intenſa;

intenſa, appetitus proſternitur, et edulia omnia, praeſertim ſolida, faſtidit aegrotus; areſcit lingua et albeſcit, progrediente vero febre, ſuſco tingitur colore; alvus plerumque adſtricta eſt, urina rubra ſedimentum naturale fere ſemper deponit. Symptomatis ſupra memoratis saepius ſuperveniunt vertigo, dolor capitis, facies turgida, et oculorum ſenſilitas magis exquiſita. Cum haec unum duoſve dies perſtiterunt ſigna febrilia, et nonnunquam ante hoc ſpatium finitum, dolores vagi, acuti, et lancinantes in variis corporis partibus torquere incipiunt aegrum; hi vero nonnunquam a principio morbi urgere obſervantur, et, antequam ſymptomata febrilia, ſemet oſtenderunt. His afficiuntur juncturae majores, praeſertim humeri, carpi, &c. at coxae, tali, et genua potiſſimum tentantur. Saepe unum ſolummodo infeſtant articulum; ſed, notis auctis febrilibus, magis intenſi fiunt, et plures corporis articulos ſimul et ſemel excruciant: Caeterum plerumque ſic progreditur morbus, remittit in alia junctura dolor, in alia intenditur, et ab alia ad aliam migrat, viciſſim alternans, et partem prius affectam iterum iterumque affligens. Hoc modo ſerpens muſculorum tractum ſequi frequentiſſime notatur.

Nonnun-

Nonnunquam hi dolores, nunc acuti, nunc graves, univerſum corpus invadere videntur. Dolore ſic diffuſo, motus minimus, preſſura, aut etiam veſtimentorum attactus, aegrotum miſerandum magnopere vexat. Tandem rigeſcunt et immobiles fiunt corporis diverſae partes. Contingit aliquando, quod, cum dolor aliquamdiu manſit, parti affectae tumor, rubor, et tenſio, ſimul cum placida ſymptomatum prius infeſtantium levatione, ſuperveniunt. Haec ſigna vero in conſpectum ſaepe ſeſe non dant, poſtquam aeger ſummos dolores perpeſſus eſt *.

Nocte, ſymptomata ingraveſcunt febrilia, et quoque dolores; ſomno, miſerorum levamine, privati noctem trahunt, inquieti et animi impatientes. Ab initio uſque hujus affectionis ſudore viſcido frigido, raro univerſo, ſaepius loco proprio, ſymptomatum levamen raro aut unquam faciente, ſuperficies irroratur. Ex obſervatis enim conſtat, quibuſdam corporis partibus ita humectatis, juncturas dolore vexatas aridas evadere. Si vero diaphoreſis copioſa et univerſa, levatione ſymptomatum evidente ſtipata, accedat, ſaepe finem morbi fauſtum non longe diſtare teſtatur. Sanguis detractus, poſtquam pelvi

* Storck. Ann. Med. Secund. p. 122.

pelvi receptus, aliquamdiu quievit, cruſtam coriaceam (modo hujus generationi certa, inter venam ſecandam, faveant) exhibet. Quantum ad ſpatium, per quod morbus aegrotos exercet, attinet, nihil pro certo affirmari poteſt; ſymptomata vero pyrexiae ultra duas aut tres ſeptimanas rarius protrahuntur. Sin diutius ſaepe perſtant dolores, leviores evadunt, et ad alias juncturas minus frequenter tranſeunt. Abſque judicio evidente aliquando decedit morbus; finem ejus tamen ſaepius facit ſudor univerſus erumpens. Notatum fuit, morbum depulſum vel levatum fuiſſe per haemorrhagias ſpontaneas, nonnunquam per ptyaliſmum et eruptiones cutaneas *, urina ſedimentum furfuraceum deponente, aut diarrhoea (quamvis rarius) ſuperveniente, tollitur morbus. Haec vero ſigna nequaquam pro certo morbum judicant; his enim praegreſſis, ingraveſcit aliquando morbus diutiuſque manet. Quamvis hic affectus naturam inflammatoriam revera habet, tamen in ſuppurationem raro deſinit. Effunditur vero humor ſero-gelatinoſus in partes locis laborantibus vicinas. Inciſis juncturis tumefactis, evacuatur hujuſce humoris certa quantitas; operatio vero ulceribus

* Gregory's Practice of Phyſic.

ulceribus ſanatu difficillimis originem dare conſuevit *. Tumores hi, fluidis effuſis cito abſorptis, haud diu manent, et vix alicujus momenti ſunt. Talem operationem inſtituendi Culleno noſtro eruditiſſimo, quo nemo medicinam latius diutiuſve fecit, occaſio nunquam oblata eſt. Aliquando etiam accidit, quod, ceſſantibus ſignis febrilibus, et ſimul tumore juncturarum et rubore diminutis, dolores vix intermittunt, et varias partes, lumbos praecipue et coxas, vexare pergunt. Rigeſcunt eodem tempore partes affectae, frigidae fiunt et areſcunt. Morbus ex hoc tempore rheumatiſmus chronicus appellatur. Huic affectui pro variis, quas occupat, partibus, diverſa nomina fuerunt impoſita. Cum lumbos aut os ſacrum afficit, lumbago nuncupatur. Coxendice affecto, ſciatica vel iſchias vocatur.

Hae autem diſtinctiones nullius mihi videntur eſſe momenti; propterea quod morbus unam et eandem cauſam fere ſemper agnoſcit, et ratione partis affectae ſolummodo differt.

DIAG-

* Storck. Ann. Med. Secund. p. 117.

D I Á G N O S I S.

Morbos a ſui ſimilibus rite ſecernere ſummi momenti eſt; namque aliter conſilia medendi principiis admodum incertis innitantur, et ſaepe aegrotantibus non ſaluti, ſed exitio, ſint oportet, quod quemlibet miſericordiae non expertem ſummo dolore non afficere non poteſt.

Quamvis rheumatiſmus, quantum ad naturam ſuam ſpectat, a variis affectionibus, quibuſcum ab antiquis fuit confuſus, multum diſcrepat; huic tamen et podagrae quaedam ſunt propria; namque eaſdem aliquando corporis partes occupant, ſymptomatiſque ſimilibus ſaepe ſtipantur, quamvis medendi ratio longe diverſa eſt. Neceſſarium igitur ducimus notas, per quas ab his morbis, quibuſcum ei ſimilitudo intercedit, rheumatiſmus acutus poſſit dignoſci, in medium proferre; atque imprimis quomodo cauſae, quae rheumatiſmum et podagram excitent, inter ſeſe differant, conſiderabimus.

Temperamentum ſanguineum rheumatiſmo praecipue obnoxium eſt, et 9 e 10 caſibus juniores, aetate florentes, et qui annum 35 nondum ſunt

ſunt tranſgreſſi, adoritur. Mares, faeminas, et eunuchos, ſine ullo diſcrimine, infeſtat. Vitam laborioſam degentes et plebeculam, cujus vivendi ratio eos cauſis excitantibus objicit, frequentiſſime invadit. Temperamento ſanguineo praeditos, contra, vel nondum ultra medium vitae ſtadium, aut 35 annum, provectos, raro corripit podagra; adultos potius ac ſenes occupat, quanquam haud deſunt, noſtro ſeculo, quo maxime viget luxuria, podagrae in junioribus accedentis exempla *; haec autem ſunt rara admodum et inſolita. Sexus amabilis, antequam provenire ceſſant menſtrua, et eunuchi, a podagra, maxima ex parte, immunes ſunt, et omnes quoque, qui victum ſudore frontis quaeritant, aut exercitationibus laborioſis, vel oblectationibus muſculorum actione ſtipatis, (niſi magna prius ad morbum proclivitas, ut ſaepe accidit, invaluit), ſeſe aſſuefaciunt. Otio langueſcentes, voluptati et omni intemperantiae ſpeciei deditos, laceſſit, tabernam humilem habitantes intactos relinquens. Rheumatiſmus, in 99 e 100 exemplis, a ſubita aërii caloris vel frigoris mutatione, originem deducit; a cauſis vero, quarum natura

* Cullen's Firſt Lines.

omnino diverſa eſt, quales corpus et animum magnopere debilitant, proficiſcitur arthritis. A ſede et ſymptomatis etiam derivanda eſt inter hos morbos diagnoſis.

Rheumatiſmus, cauſis excitantibus applicatis, ſubito adoritur; affectiones quaedam, contra, partium internarum, praecipue ventriculi, velut concoctio prava, flatus, ructus acidi, aliquando inſipidi, cum variis functionum debilitatarum ſignis, podagram accedentem praecedunt. Symptomata haec, paroxyſmo appropinquante, evaneſcunt, et functiones omnes pervadit vigor inſolitus, et ſyſtematis totius tonus plurimum auctus evadit. Rheumatiſmum venientem raro praecedunt vel comitantur tales notae. Hic, per totum vitae decurſum, ſaepius una vice, ſi cauſae excitantes vitantur, raro invadit, neque periodos regulares obſervat. Podagra vero certis plerumque temporibus redit, intervalla ſatis juſta ſervat, et difficilius curatur. Paroxyſmi primi duratio brevior; ſequentes magis protrahuntur. Locus affectus quoque horum morborum diagnoſin ſuppeditat. Hiſtoria enim tradita docet, juncturas majores corripere, muſculorum tractum ſequi, et plures partes eodem tempore afficere rheumatiſmum. Notatu etiam dignum videtur,

videtur, quod tam late aliquando diffunditur rheumatiſmus, ut quaenam pars dolore potiſſimum afficiatur, dicere nequeat aegrotus. Arthritis articulos majores raro, minores, ut manuum et pedum pollices, frequentiſſime occupat, unum ſimul tantum infeſtat, ſed ab uno ad alium priori reſpondentem ſaepe migrat. Rheumatiſmus cum affectionibus internis rarius alternat; ſed viſcera omnia ſaepiſſime graviter excruciat podagra. Ex inſpectione cadaverum luculenter conſtat, materiam in rheumatiſmo effuſam gelatinoſam quodammodo evadere. Subſtantia, contra, cretacea arthritide laborantium articuli reperiuntur repleti.

Nonnunquam diſcrimen acutum inter et chronicum, illo praeſertim tempore quo ad poſteriorem prior vergit, certum deſignare perquam difficile eſt. Haec itaque argumenti pars ſummam requirit diligentiam et ingenii acumen. Res vero jam enumeratae ſatis attente conſideratae impedient, quo minus hic in dubio haereamus. In acuto, inflammatione loco propria ſtipato, diatheſis ſemper adeſt inflammatoria, pulſus pleni et fortes evadunt, urina rubra; ſanguis venae detractus cruſta coriacea obducitur. Suum, plerumque duarum aut trium hebdomadarum ſpatio,

tio, decurſum morbus abſolvit. Dolores ab una ad juncturam aliam ſerpere, et artus ſuperiores et inferiores occupare obſervantur. Calore et rubore ſtipantur tumores. Ab applicatis calidis multum exacerbantur dolores. Contra, in chronico raro adſunt ſymptomata febrilia, vel diatheſis phlogiſtica, nec cruſtam coriaceam exhibet ſanguis. Haec obſervata, aliquando tamen ab aliis rebus circumſtantibus admodum diverſis, pendere videntur. Partes dolore cruciatae pallidae fiunt et frigeſcunt. Pulſus arteriarum nec pleni nec fortes, urina nulla ex parte rubra evadit. Quantum ad tempus, per quod morbus manere ſolet, attinet, nulli dantur limites certi. Partes corporis muſculares potiſſimum, uti lumbi, coxendices, et oſſa iſchia, dolore vexantur. Calor quoque modicus levamen aegrotis miſeris adfert.

CAUSÆ REMOTÆ.

In omnes, cujuſcunque ſint aetatis, ſexus, aut temperamenti, cauſis excitantibus ſatis potentibus applicatis, invadere poteſt rheumatiſmus.

Quaedam

Quaedam tamen ſingularia ſunt, quae faciunt, ut unus hoc morbo corripiatur, dum alter ab eo liber manet. Sic vitam annum inter 15 et 35 degentes, temperamenti ſanguinei et pleni, huic affectioni ſunt praecipue obnoxii. Cauſae hunc habitum dantes variae ſunt et numeroſae; ſed ſufficiat illas ſolummodo hic recenſere, quae potentius et magis inſtanter agunt. Huc referenda ſunt quietum vitae genus, victus lautior, ſomnus nimius, evacuationes conſuetae ſubito ſuppreſſae, ut perſpiratio et menſtrua. Hinc forſitan major faeminarum, quam virorum, ad hunc morbum proclivitas. Huc etiam ſuppreſſio ſubitanea evacuationum, arte inductarum, ut ſetaceorum, epiſpaſticorum, et ſimilium, ſanguinis detractio, ſtatis temporibus adhiberi conſueta, omiſſa, haemorrhagiarum ſolitarum ceſſatio, pertinent. Praeterea, alia adhuc ſunt, quae, debilitatem inducendo, et hoc modo ſyſtema mobilius reddendo, hujuſce morbi acceſſioni favere notantur. Talem effectum edere videntur humorum profuſiones omnes auctiores, venus immodica, morbi quilibet aegrum ſaepius infeſtantes, ſtatus convaleſcens. Notiſſimum enim eſt, quod hi, qui ad ſanitatem, poſt morbum diuturnum, nuper reducti ſunt, coëli et tempeſ-

tatis

tatis viciſſitudines magis exquiſite, quam alii, ſentiunt. Applicato enim minori frigoris gradu, facile morbo rurſus tentantur, aut quodam alio vitio corripiuntur. Cubicula calidiora, uſus etiam lavationis calidae frequentior, vel potio tepida nimia, homines morbo opportunos etiam facere poſſunt. Inſuper, tonica medicamenta diu continuata irritabilitatem ſyſtematis augere valent. Sydenhamius facit mentionem exempli, ubi morbus, poſt uſum corticis Peruviani diuturnum, frequenter invaſerat *. Habitum debilem, mobilem, et irritabilem faciendo agunt hae cauſae, qui, eam ob rationem, cauſis nocentibus applicatis minus reſiſtere valet. Hinc originem ſaepe ducunt rheumatiſmus, et alii affectus inflammatorii. Cauſis remotis annumerandum eſt frigus diutius applicatum. Tempore enim hyemali, aut gelu diu continuato, raro mortales morbus exercet, quoniam eo tempore et ſolida conſtricta, et fluida condenſata ſimul adſunt. Necnon calor per longum tempus continuatus, pro cauſa praediſponente ſola habendus eſt; nam, in regionibus magis ad Æquatorem vergentibus, rheumatiſmus raro aut nunquam incolas invadit,

* Sydenham, cap. v. ſect. vi.

dit, quod his plagis relaxatio ſolidorum rarefactioni humorum, pro rata parte, reſpondet.

Hiſce cauſis enumeratis, quae corpus huic morbo obnoxium reddunt, ad potentiſſimam et ferme unicam rheumatiſmi cauſam excitantem, vices, ſcilicet, frigoris et caloris alternantes, jam perventum eſt. Neminem fere latet, quod, in regionibus et tempeſtatibus, quae frigoris et caloris praecipue mutationes celeriter ſubeunt, frequentius invadit. Hinc, cur vere et autumno maxime graſſetur, facile exponi poteſt. His omnibus collatis, frigoris et caloris actionem, fluidorum rarefactioni, et ſolidorum conſtrictioni, priori poſteriori ſupervenienti, vel vice verſa, pro tempeſtatis viciſſitudinibus, referendam eſſe opinamur. Omnium fere auctorum obſervationes docent, vere, quam alio tempore, frequentius accedere, propterea quod a temperie calida magis rarefiunt humores, quam ſolida hyemali frigore tam diu conſtricta relaxantur. Hae cauſae irritando validius agunt, et, nullo ſeminio ſubſtante, affectionem hanc excitare valent. Si vero proclivitas, quam jam notavimus, prius exſtiterit, effectum multo potentiorem haud dubie edent.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Licet hujus rei inveſtigatio medicorum attentionem per longum tempus in ſeſe converterit, et lis ab iis, qui arti Hippocraticae ſummo decori ſunt, mota fuerit, nuper vero tantum veritas fuit comperta. Nonnulli auctores ſingulari cuidam acrimoniae in ſanguine rheumatiſmum tribuerunt; hanc vero opinionem cauſarum remotarum ſignorumque natura, et curationis ratio, refellit. Quid enim rei cum frigoris et caloris vicibus acrimoniae commune eſt? Quomodo haec acrimonia alia loca prae aliis afficere, et non univerſum corpus contaminare, poteſt? Quomodo ſanguinis, quomodo aliorum humorum detractio, ad acrimoniam parti auferendam conferre poteſt, quae cum ſubeſt, nunquam loco propria eſt, ſed univerſa? Ob has, et ſimiles cauſas, acrimoniae in hoc morbo opinio a pleriſque medicis jamdudum repudiata eſt. Alii cauſam in lentore, aut conditione ſanguinis viſcida, proximam conſiſtere exiſtimarunt; ſed haec aeque ac acrimonia a verae cauſae natura diſtat,

ut

ut argumenta contra acrimoniam adlata ſatis ſuperque evincunt. Aliquis hodie, doloris et omnis pyrexiae rheumaticae expers, et ſeſe bene, quantum ad omnia attinet, habens, cras in rheumatiſmum, poſt calorem frigusque ei admota, incidit. Quomodo vel in toto corpore, vel in partibus dolentibus, ſanguis, cujus craſis ſecundae valetudini priore die convenerat, poſteriore ſic inſpiſſatur? Et quo modo, ſi inſpiſſaretur, ſanguinis detractio, quae aeque omnes ejus partes abſtrahit, et alvi purgatio, ſudorque, quae, tenuiorem partem auferendo, reliquam etiam ſpiſſiorem relinquere judicanda ſunt, in morbum tantopere poſſent? Hujus ſententiae fautores ex ſanguinis venae detracti inſpectione, cujus ſuperficiem pellicula inflammatoria plerumque obducit, argumenta deducunt. Sed e viri ingenioſi Hewſon experimentis conſtat, ſanguinem morbis inflammatoriis laborantium tam longe abeſſe, ut magis viſcidus reddatur, ut multo tenuior fiat *. Plurimis enim experimentis inſtitutis, ſanguinem, cujus ſuperficiei cruſta denſior et fortior innatavit, ſerius cogi obſervavit. Hinc ſequitur, cohaeſionis attractionem

C inter

* Hewſon on the Blood.

inter partes maſſam conſtituentes multum diminui. Cum, hiſtoria et cauſis remotis mature conſideratis, et rationi et experimentis repugnet in ſtatu humorum quolibet cauſam rheumatiſmi proximam conſiſtere, eam in vaſorum minimorum conſtrictione, quae membranas, ligamenta, aliaſque articulorum partes, tendines et expanſiones muſculorum aponeuroticas, pervadit, poni concludimus. Impedit haec conſtrictio, quo minus libere per vaſa tranſeat ſanguis. Ad hunc ſuperandum renixum ſpaſmus excitatur, qui, in omnem ſyſtematis partem cito diffuſus, ſymptomata facit febrilia.

P R O G N O S I S.

Ab experientia pro certo diſcimus, rheumatiſmi finem raro funeſtum evadere; tamen haud deſunt, ubi eventus infauſtus fuit, exempla. Medicamentis ſaepe difficillime paret, et perperam curatus haud raro in rheumatiſmum chronicum, varias et diras affectiones, uti paralyſin immedicabilem, juncturarum anchyloſin, &c. inducentem degenerat. Si morbo hoc correptus aetate ſit

ſit juvenili, robuſtus, dolores lenes et ſymptomata febris mitia, cum pulſibus arteriarum parum auctis, mollibus, et plenis, calore corporis modico; ſi lingua ſit mollis et humida, et noctu accedat ſopor reficiens; ſi morbus haud diu manſerit, et nunquam antea aegrum infeſtaverit, eventum fore fauſtum ſatis audacter pronunciare licebit. Ulterius firmabitur hocce praeſagium, ſi ſudor corpus univerſum humectet, urina magna copia excernatur, haemorrhagia ex qualibet corporis parte incidat, copioſa diarrhoea, vel eruptio cutanea ſponte ſemet oſtendat, et ſigna febrilia leniora evadant. Contra, curatio difficilior evadit, et prognoſis magis dubia eſt, ſi aegroto vires prius fuerint convulſae, ſi morbus ſemel ac iterum invaſerit, vel ſi partes interiores, cerebrum, *e. g.* pulmones, aut viſcera abdominalia, phrenitidis, peripneumoniae, &c. formam ſibi induens, et ſymptomata alia formidoloſa movens, jam occupavit. Memoria vero tenendum, migrationes ad interiora rarius incidere; ſi eveniant, forſan diatheſi arthriticae merito ſunt tribuendae, praecipue ſi nobiſcum reputetur, quod ſyſtema muſculorum maxime afficit rheumatiſmus. Reſolutione ſaepius, ſuppuratione rarius, gangraena aut ſphacelo

celo nunquam finitur. Denique, morbus et dolens et gravis eſt, quamvis raro exitialis.

CONSILIA MEDENDI.

Cum e ſupra traditis clare evidenterque conſtet, morbum, de quo agimus, naturam inflammatoriam habere, conſilia ſequentia, quae experientia diuturna probavit, idonea eſſe judicamus.

1*mo*, Violentiam renixus ſyſtematis univerſi, et etiam partis laborantis, compeſcere.

2*do*, Conſtrictionem vaſorum ſpaſmodicam tollere.

Regimen antiphlogiſticum ad primum conſilium abſolvendum imprimis neceſſarium eſt. Adimpletur hoc evitando ſive moderando irritamenta corpori noſtro applicata, quae cordis et arteriarum vim augent. Calor externus, (niſi cum diaphoreſis copioſa requiritur), omnis muſcularis actio, et etiam loquela vitanda eſt. Situs horizontalis cuilibet alii anteponendus eſt, quoniam in illo pauciſſimis utimur muſculis. Cum ſyſtematis ſenſilitas in morbis inflammatoriis multum

tum augeatur, videmus quod etiam mentis operationes in corpus, inſtar ſtimulantium haud levium, agunt. Hae potiſſimum, quae motus vel affectus violentos excitant, caute ſunt fugiendae, et etiam vis lucis ſonique ſtimulans. Quoniam cibi omnium generum, pro alimentis ſumpti, aliqua ex parte ſyſtema ſtimulant, et quia ab iis haud ex toto abſtinere impune poſſumus, alimentum minimum ſtimuli praebens eligendum eſt. Cibus ex regno animali ſumptus, cum alkaleſcens ſit, et igitur magis minuſve irritet, haudquaquam adhibendus eſt.

In vicem ejus, diaeta vegetabilis ſubſtituatur. Potus etiam ſtimulare valet. Idcirco liquores omnes aromatici, ſpirituoſi, et fermentati, haud aegro ſunt dandi, et aquoſi innocui tantummodo concedendi. Ne ſitis urgeat, aut ventriculus crudis indigeſtiſque opprimatur, aut faeces longius retineantur, cum haec omnia ſtimulum potentem praebeant, quam maxime cavendum eſt. Nunc proximum eſt, ut modos, quibus ſyſtematis ſanguiferi actio poſſit imminui, monſtremus. Cum haec maxima ex parte a tono vaſorum ſanguiferorum pendeat, et hic rurſus a tenſione, quam haec ab humoribus, quos continent, accipiunt; nihil manifeſtius eſſe poteſt, quam, horum

rum quantitate diminuta, illam quoque imminutum iri. Hoc autem maxime praeſtant ſanguinis detractio alvique purgatio.

1. *Sanguinis detractio.*—Haec in rheumatiſmo curando ſummi momenti eſt. Effectus ejus bonos facilius aſſequemur, ſi regularum ſequentium ratio habeatur. In poſitura horizontali collocetur aegrotus, ut quam minimum actionis muſcularis ſit, et quoque agendum eſt, ut quam pauciſſima irritamenta ſubſint. Inciſio venae ſatis ampla ſit, ut ſanguis pleno rivo profluat; namque tonus ſyſtematis arterioſi, pro ratione quantitatis, dato tempore, detractae, imminuetur. Multum igitur valet vaſis ſanguiferi, e quo ſanguis emittatur, magnitudo et inciſionis amplitudo. Quantum ad quantitatem, quae debeat extrahi, attinet, nulla regula certa dari poteſt; haec enim, pro conditione morbi aegrique habitu corporeo, magnopere variat. Hoc tantum ſuper hac re dici poteſt, quod ſanguinis detractio, in adulto robuſto, ad ℥xx, et aliquid ſupra, pro larga, et infra ℥xii pro parva, habetur.

Quoties ad eam debeat decurri, apud auctores non convenit. Pringelius illuſtris, ut ad miſſiones ſanguinis frequentes, immo, doloribus graviter urgentibus, fere diurnas, donec remiſerint

rint aut magnopere fuerint leniti, confugiatur ſuadet *. Contra, Sydenhamius affirmavit, miſſionem ſanguinis rheumatiſmo parum convenire. Lis, quae inter viros tantos orta eſt, niſi admodum fallor, hoc modo componenda eſt. In diverſam medendi viam non procedere non potuerunt, cum alter apud milites duros et aetate florentes, alter apud urbanos molliores, omnique luxuria diffluentes, medicinam fecerit. Cum regula nulla certa et definita poſſit tradi, ſequentia rite conſiderata, quoties ſanguis quantumque ejus debeat extrahi, aliqua ex parte monſtrabunt, pulſus arteriarum, gravitas doloris, ſexus, temperamentum, vires aegri et plenitudo, uſus hujuſce evacuationis frequentior vel rarior. Quamquam miſſio ſanguinis univerſa in auxilium morbi tam prompta eſt, et ei imprimis accommodatur, magnopere tamen, ne nimis liberaliter nimiſque ſaepe adhibeatur, cavendum eſt. Nimia vel immodica, ut aegri tarde convaleſcant, facit, et rheumatiſmum chronicum, et forſitan multos alios morbos a debilitate proficiſcentes, ut hydropes, &c. movet. Si detractio ſanguinis univerſa iterum fuerit adhibita, et dolores

* Obſervations on Diſeaſes of the Army, pag. 158. edit. 7.

lores nihilominus urgere pergunt, aut ictus arteriarum non molliores evadunt, quo noxas hujuſce evacuationis ſaepius reiteratae fugiamus, vis dolorum morbique miſſione ſanguinis loco propria ſubigenda; quod certius praeſtabit, ſi tumor ruborque ſubfuerint. Hic modus ſanguinis detrahendi potiſſimum prodeſt, cum dolorum duratio magis, quam febris gravitas, aegrotum exercet. Hoc conſilio adhibentur hirudines vel cucurbiculae cruentae. Has illis anteponendas putamus, quia ſuos effectus citius edunt, et quantitas hoc modo detracta accuratius menſurari poteſt.

2. *Alvi purgatio.*—Haec quantitatem humorum, quam corpus continet, diminuere ſaepe magnopere juvat. Igitur, ſecundum ſanguinis detractionem, principem inter haec omnia medicamenta locum obtinet. Univerſum ſyſtema magnopere relaxat, et irritationem, quam ſtercus facit, tollit. Hanc ob cauſam, in hoc morbo plurimum proficit. Cum neceſſaria eſt, purgantia mitiora adhibeantur, qualia ſunt cremor tartari, manna, pulpae tamarindorum et caſſiae, ſal Rupellenſis.

3. *Refrigerantia.*—Haec priori conſilio quoque accommodantur. Horum acida utiliſſima

ſunt;

ſunt; et reliquis palmam praeripiunt vegetabilia, praeſertim ſatis diluta, et hoc ſtatu in ventriculum recepta. Nimium ſanguinis impetum imminuunt, calorem ſitimque compeſcunt, alvum emolliunt, et ſaepe urinam citant, diaphoreſinque movent.

4. *Sales Medii.*—Hi magnas quoque vires refrigerantes habent. Curſum humorum cutem verſus faciunt, ſpaſmum ſuperficiei illatum tollunt, perſpirationi favent, motus cordis arteriarumque abnormes tardiores efficiunt, et univerſum corpus frigidius reddunt. Ex his omnibus nitrum in uſu maxime communi eſt, et ſummis laudibus a Dr Brocklesby tollitur. Ille, protinus poſt primam ſanguinis detractionem, a vi ad x drachmas, ſpatio xxiv horarum, copioſe dilutas, aegrotantibus ſuae curae demandatis, praecepit; pauciſſimi vero ſunt ventriculi, qui tantam ejus quantitatem poſſunt tollerare *. Hiſce remediis jure accenſetur juiapium ſalinum. Efficacius reddetur, ſi invicem alkali fixi volatile, ſucco limonum adjunctum, ſufficietur. Impetu ſanguinis per haec remedia diminuto, quaenam

* Obſervations on military diſeaſes.

conſilio alteri accommodentur, proximum eſt, ut conſideremus. Hoc autem eſt,

Conſtrictionem vaſorum ſpaſmodicam tollere.— Huic ſudorem moventia maxime conveniunt. Evacuationibus ſuprapoſitis factis, et per has, et alia remedia, quorum mentionem fecerimus, diatheſi ſyſtematis inflammatoria, vel ex toto ſublata vel diminuta, ſudatio in auxilium rheumatiſmi promptiſſima eſſe reperietur.

Medicamentis tamen quam minime ſtimulantibus excitetur, et, dum hoc fit, quam minimum caloris moveatur. Namque, ſi medicamenta irritantia in uſum revocantur, et calor corporeus non parum intenditur, diatheſis phlogiſtica quoque augeri conſuevit. Medicamentum vi ſtimulante, magna ex parte, deſtitutum hodie ſummis laudibus effertur, quod ſudorem tuto et certo movet. Quod mihi ob oculos obverſatur, id eſt pulvis Doverianus, qui ex opio et pulvere ipecacuanhae ſali medio adjunctis conficitur. Hic aliis omnibus ſudorificis fere anteponendus eſt, quod actio ejus multo minus caloris, quam reliqua idem genus medicamenta, movet. Proximum autem eſt, ut regulas certas, quae, dum operatur, ſunt obſervandae, et modum ejus dandi, qui optimus eſſe videatur, depingamus.

Mane,

Mane, poſtquam aegrotus experrectus eſt, melius dabitur, quod omnes excretiones, inter vigilandum, quam inter dormiendum, magis regulariter pergunt. Praeterea, hoc tempus ſumendi pulverem, hanc ob rationem, maxime convenit, quod ſigna febrilia et dolores noctu intendi, et plus minuſve interdiu remittere, conſuerunt. Inſuper, et aegrotus et eum nutrientes noctu in ſomnum incidere ſolent, adeo ut potio ei rite ſuppeditari nequeat, ſine qua ſudor pergere non poteſt. Quinetiam, veſtes ſtragulae, ſi, rebus ita ſeſe habentibus, de corpore aegroti lectove fuerint delapſae, ſatis cito nequeunt reponi. Nihil quoque aegroto magis prodeſſe poteſt, quam partem ſudationis majorem, ante nocturnam exacerbationem, abſolviſſe. In lecto, cujus ſtragula lanea ſunt, collocetur aegrotus; namque lintea brevi madeſcunt, et a corpore in paucula minuta tantum disjuncta frigeſcunt; et igitur actionem remedii ſudoriſque progreſſum impediunt. Lanea ſtragula, contra, curſum humorum ad ſuperficiem faciunt, et humiditatem quoque abſorbent. Si haec nolit aeger, et, ut ad lintea decurratur, neceſſe ſit, ſaepe mutentur; periculum enim a ſtragulorum mutatione non aeque, ac quidam putaverunt, metuendum.

Adulto

Adulto hoc modo parato dentur pulveris Doveriani, forma boli, grana xv, et eadem doſis omni hora ſecunda, donec ſudor proruperit, repetatur. Hanc medendi viam laudibus effert illuſtriſſimus Gregorius, et in eam, ſummo cum fructu, ipſe procedit. Si doſis, ut vulgo fieri conſuevit, ad quantitatem ſemidrachmae vel ſcrupulorum duorum provehatur, nauſeam vel vomitionem fere ſemper excitat.

Effectibus hujuſcemodi optime occurretur, ſi doſes exiguas praeſcribemus, et aegrotanti omnium fluidorum uſu interdicemus. Tantum humoris cujuſlibet ſolummodo concedendum, quantum medicamento pro vehiculo inſerviat. Cum humiditas in fronte apparebit, et ſenſus caloris in corpus univerſum ſemet diffundet, tepida diluentia neceſſaria evadent. Cum multum potionis requiratur, ut quam maxime palato grata ſit, agendum eſt. Igitur liquores, quibus nonnihil aromatis fuit adjunctum, infuſum ſalviae, ſerum vinoſum, et alii idem genus, ſunt adhibendi. Cum ſudor non tantum nihil commodi ſecum adducat, ſed etiam noceat, niſi ex omnibus partibus profluat et liberalis ſit; cumque in artubus inferioribus difficilius excitetur, hic ope plurium ſtragulorum, ſomentorum calidorum,

dorum, utriculorum aqua repletorum pedibuſque applicatorum, moveatur. Si pulvis Doveri, in tres quatuorve vices datus, aliis rebus ſupra relatis non neglectis, nihil ſudoris excitet, aeger caleſcat, cutis ei arida adhuc maneat, anxietas adſit, ſitis urgeat, pulſus arteriarum duri et frequentes ſint, caput doleat, et delirium accedat, in uſu pulveris non perſtet medicus, ſed eo deſiſtat. Rebus enim ita ſe habentibus, nihil boni, multum mali, expectandum eſt. Si, contra, ſudor libere profluat, votiſque ex toto reſpondeat, nullis malis ſignis comitantibus, calore non multum aucto, per idoneum temporis ſpatium, ad minimum per xviii vel xxiv, et aliquando per xxxvi horas, ſi ita requirent aegri conditio et morbi ſigna, continuetur, omni ratione promotus. Quo ſudatio magis tuta et efficax ſit, alvus eodem tempore ſoluta teneatur. Sudore ad finem perducto, aeger ſicca veſtimenta induat, frigus diligenter caveat, quod certiſſime, ſemet aliquod horas lecto continendo, faciet; id enim hoc tempore facile prompteque colliget.

Emetica quoque ſunt neceſſaria, quod curſum humorum ad ſuperficiem faciunt. His vel plenam vomitionem vel nauſeam tantum moveamus. Uterque modus emetica adhibendi commodum

modum aegro adfert; poſterior vero efficaciſſimus eſſe videtur. Namque hoc actio vaſorum extremorum diutius excitatur, et non raro aliquantum ſudoris movetur; contra, effectus vomitionem excitantium magis debilitant et citius evaneſcunt.

Epiſpaſtica in hoc morbo multum laudantur. Spaſmum partis affectae tollunt, et fluida inde detrahunt. Si vero dolores huc illuc vagentur, parum proficiunt. Alia rubefacientia idem praeſtant. Ranunculus recens contuſus, et partibus dolentibus admotus, Storkio judice, dolores articulorum ſaevos et graves magnopere lenit et mitigat *.

Experientia compertum eſt, fomenta tepida partibus dolentibus applicata, ſi notae febriles ingraveſcunt, ut ſub initia morbi incidere conſuevit, potius nocere, quam prodeſſe. Morbo vero longius progreſſo, et diatheſi phlogiſtica diminuta, ſigna in tempus levant. In hoc tamen caſu non ſaepius admovenda ſunt, quod partes laborantes relaxant, et eaſdem rheumatiſmo chronico opportunas efficiunt.

Praecipuis remediis, quae utrique conſilio conveniunt, enumeratis, paucula tantum de cortice Peruviano tradenda ſuperſunt.

Cum

* Ann. Med. Secund. p. 123.

Cum hocce remedium vires admodum tonicas habere ab omnibus concedatur, ambigi nequit, quin in rheumatiſmo acuto, ubi tonus ſyſtematis jam juſto major et auctior eſt, datum multum noceret, morbumque graviorem efficeret. Finem vero morbi verſus, et diatheſi phlogiſtica imminuta vel ſublata, ſi ſtatis temporibus ingraveſcunt ſigna, ſi, *e. g.* pejus noctu, melius interdiu, ſeſe habeat aegrotus, ad corticem Peruvianum tuto poteſt decurri; et efficacius etiamnum, ſi, morbo ineunte, evacuationes copioſae et liberales, propter ſigna febrilia, fuerunt adhibitae.

Argumento nunc ad finem perducto, tantum reſtat, uti omnibus hujuſce Academiae celeberrimae Profeſſoribus, quorum fama totum terrarum orbem jam pervagata eſt, ob plurima et utiliſſima praecepta medica, quibus me imbuendum curarunt, gratias quam maximas et ſinceras perſolvam.

F I N I S.

TIGHT GUTTERS
ON TITLE PAGE